



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

14 Calicem non, nisi de auro, vel argento, licet consecrare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

lat. prelat. & c. in causis, de re iudic. Episcopi tamen aliqui, privilegio Papæ suffulti aquam per ipsos exorcizatam personis in dignitate Eccles. constitutis transmittere, & facultatem reconciliandi illis delegare possunt, quod privilegium ex causa concedi solet.

- II** Altaria sine reliquiis † consecrari non possunt, *cap. placuit, de consecr. d. 1.* & consecratio altaris præcipue consistit in conjunctione mensæ, scilicet, lapidis superioris, & structuræ inferioris, *Innoc. in rub. de consecr. n. 2.* Nam pluribus ex causis reconsecrantur, si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, contractus, aut etiam diminutus, *c. 1. & c. 2. de consecr. eccl. vel altar. sunt etiam reconsecrandæ, si augeantur, vel minuantur, aut mutantur, ita quod amittant priorem formam, quia forma dat esse rei, Abb. in cap. ligneis, nu. 2. eo. tit. & pari modo altare viaticum, si amittat formam, vel frangatur, illius sigillum est reconsecrandum, ut per Abb. ubi supra.*
- 12** Sicut enim † altare consecrari non debet, nisi ab Episcopo, sic non debet quis illud execrari, vel destruere, nisi Episcopus, vel alius de ejus mandato Turrecrem. in *cap. placuit, de consecr. dist. 1.* † Vasa sacra, planetæ, pallæ, vestes sacerdotum, & ministrorum, & similia non sunt ad usus profanos convertenda, quia Deo dicata ad usus profanos reverti non debent, *cap. nulli, 12, q. 2. & cap. semel, de reg. jur. in 6.* sed paramenta, si qua vetustate sint consumpta, comburi debent, & cineres in ecclesia sub pavimento, vel alio loco tuto, & honesto, ne pedibus intrantium conculcentur, sunt reponendæ, *cap. altaris de consecr. d. 1.* † Calicem verò, nisi de auro, argento,
- vel stanno consecrari non licet, non autem ex ære, aut aurichalco, quia ob vini virtutem æruginem facit, pariterque vomitum provocat, minusque ligneum, aut vitreum, cum quo missa prohibetur celebrari, *cap. ut calix, ead. dist. & quicquid in contrarium supra disponatur de calice ex stanno, qui non est prohibitus, hodie minime admittitur eadem ratione, quia de facili æruginatur, & nauseam parit celebranti, eodem c. ut calix.* & ubi est eadem ratio, eadem debet esse juris dispositio, *l. illud, ff. ad l. Aquil.*
- 15** Virgines quoque † non, nisi per Episcopum, possunt consecrari, *cap. quamvis corepiscopi, 68, dist. & cap. si jubet, 26, quest. 6.* & debent consecrari in veste professionis, quam semper ferre tenentur, *cap. sanctimonialis, 23, dist.* sunt enim consecrandæ solemnibus diebus tantum, ut in Epiphania, per hebdomadam Paschæ, & in festis Apostolorum, nisi in contrarium immineat necessitas, *cap. devotionis, 20, q. 1.*
- 16** Quæri potest, † an procaratio pro visitatione debita, ut suo loco dicetur, recipi etiam possit pro consecratione, & est distinguendum, quòd, aut loquimur de consecratione calicum, ordinandorum, & virginum, quæ fit in propria civitate, & pro ordinandorum consecratione, & tunc res caret difficultate, quòd nihil accipi possit in quocunque loco ordinationes habeantur, sed gratis operam suam visitantes præstare omnino tenentur, *Conc. Trid. c. 1. de refor. sess. 21.* & eadem ratio militat in virginibus consecrandis, vel velandis, ac calicibus consecrandis, campanisque benedicendis, & ita se habet communis usus, & consuetudo, quæ est servanda, *Conc. Trid. cap. 3. §. in iis verò, de reformat. sess. 24.* aut est